O expolitum, ex ore quod fluit Tuo,
Venuſte Rhetor! Benè Tibi! Benè & Tuo,
BUCHWALDE, Patri, quippè qui ſuæ dedit
Holſatiæ, dum Te dedit, novum jubar
radios quod olim plus ſatis prodet ſuos.
Abeſto jam ſequente *Diffidentia*
De Gloriâ omnis. Tuq; , qui *diffidere*
Scripto doces doctiſſimo, certiſſimam
De maximi celebritate Nominis
Creare nobis pergito *fiduciam.*

L. M. Q.
applaudebat

ENOCH Gläſer Sil.

25.5
40

L. BODOCKI.
Acad. Roſtoch. Orator. P.

ROSA VARNIACA,

SIVE

ACADEMIA ROSTOCHIENSIS
ad Varnum fluvium ſita

IPSO EJUS DIE NATALI ANNUO
Nempe 12. Novembris Anni 1647.
AB IPSO FUNDATIONIS TEMPORE ANNI 1419.

IN

ROSA FRAGRANTE
expreſſa,

Nunc autem
Ad multorum inſtantiam publicæ luci communicata.

DIGNA. VT. ROSIS.

ROSTOCHI,
Literis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi
ANNO M. DC. XLVIII.

SI Romani, Vrbis à **Romulo** conditæ diem, superstitiosâ pietate, sacra videlicet per quindecim Viros facientes, ignemq; Vestæ Deæ novum (ut Macrobius lib. 1. c. 12. refert) accendentes, celebrare consveverunt. Si tum Regum tum privatorum Genethlia, Græci cum totâ Gentilitate, variis gratitudinis ritibus honorarunt. Si totus fermè Orbis, dies mortalium natales, lætis devoti cultus documentis proseqvi consvevit. An me publicum Academiæ hujus Oratorem, ad ipsius laudes celebrandas, ad decus ejus prædicandum, ab ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMO, CELSISSIMOQVE PRINCIPE AC DOMINO, DN. ADOLPHO FRIDERICO, Duce Meckelburgensi, Principe Vetustæ gentis Henetæ, Administratore & Comite Sverinensi, terrarũ Rostochii ac Stargardiæ Dynastâ, Domino meo clementissimo, post Magnos illos STURTIOS, CASELIOS, SIMONIOS, ante annos aliquot evocatum ac destinatum; an me inqvam hodiernum silentium & ocium decebit? Decebit satius cum Phœbo & Musis, lucem hodiernam solemnem agere; quæ communem hanc bonarum mentiũ matrem & propagatricem ante ducentos viginti novem annos, hodierno 12. Novembris die elapsos progenuit, & ex eâ veluti illustri propagine, nobilem ac universam familiam Doctorum virorum, in varias orbis plagas, ab Anno 1419, usq; ad hodiernum Annum 1648, per tantas licet vicissitudines, juxta illud vetustum distichon eduxit.

CastaLIas ornare Deas & fLorIbVs artes
CaperUnt rosea CIngere VarnIa Des.

Quod ut cum majori honore ac voluptate ejus peragam; premam morem non solum priorum, nostrorum sed vel hác horâ consortio mortalium conviventium, qui vinculo aliquo, amicos intimiores, diebus eorum natalibus ligare consveverunt; & inclutam Matrem hanc, non tam ut viveremus quod magnum esset, nec tâm ut benè beateq; viveremus, quod longé majus; verûm ut æternum viveremus quod omnium maximum, fideliter curantem, non aureo (quod nec sors mea patitur, nec generosa illius indoles, auro supra inconstantiæ aleam posito, ingenii nempè dotibus contenta, expetit) verum ex ROSÆ fragrantis, Veneri olim ob eximiam pulchritudinem sacræ floribus contexto vinculo vinciam, ac per

hanc horulam, ab ipso plantationis ejus in hac Urbe auspicio, ad nostra fermè tempora, ROSAM eximij decoris fuisse, ingenii ac eloquii divinitus concessi modulo ostendam. Tu jam florentissima ROSARUM ACADEMIA, ROSAM insigne famæ tuæ Virtute & Doctrinâ partæ simulacrum nè ducas despicatui, qvam solam Persarum gazis, splendidis & lautis opibus, vel subito turbine qvassari, vel in lubrico fortunæ fastigio everti consvetis præponis. Tu autem Amplissima ac Selectissima Auditorum Corona, fave (obsecro) pio conatui; fave licet exiguo ingenii monumento, tanqvam benignissima rerum æstimatrix, ut, si non ingenij, tamen pietatis specimen tuæ benignæ æstimationis fulcro, ad tempora candidæ posteritatis permaneat, ejusq; gratiam aliqvam ac benevolentiam, cum gratâ recordatione, ubi fatis concesserimus sibi conciliet.

Supremus hujus Universitatis parens DEUS, ut alijs rebus, ita vegetante etiam animâ præditis, illustres virtutum maximarum impressit icones, ut magnum illud mundi miraculum, præclaro rationis munere ornatum, homo videlicet, animum quoq; ipsis reficeret ac erudiret. Quis etenim non ipsissimis usurpat oculis invictæ constantiæ in *Palmâ* imposito onere nunqvam fatiscente imaginem? Quis non cernit clarissimum in *Hyssopo* pœnitentiæ simulacrum? Quis non intuetur manifestam in *Lilio* inter carduos excrescente, virtutis in adversis efflorentis effigiem? Et ut ad propositum meum redeam. Quis jam in ROSA, ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS originem? quis fortunæ vicissitudines? quis ejus celebritatem? quis admiranda emolumenta, quibus hanc Urbem, Megapolim, & totum Orbem Christianum afficit non stupebit? melius equidèm, meo judicio, in ROSA, quàm penicillis *Apellis* aut celo *Lisippi* expressa.

Libera illa (ut indè sumam ROSÆ initium) Poëtarum gens, *è sudore fœminæ nomine JONÆ, in diluculo candidæ, in meridie rubicundæ, proximâ nocte viridis ROSAM enatam fuisse affirmat.* Sed secedat solutioris genii, in obtrudendis suis mundo commentis cohors, & si vel verè loqvuta fuerit, de suâ origine non superbè glorietur ROSA, in præclaram de dignitate majori contentionem cum hac ROSARUM ACADEMIA hodiè commissa. Qvæ non è sudore fragilis aut obscuræ alicujus mulieris, veum è *sudore* ILLUSTRISSIMORUM AC CELSISSIMORUM HEROUM, JOANNIS MAGNI filii, & ALBERTI JOANNIS patruelis, ALBERTI REGIS SVECIÆ filii, Ducum Megapolensium æternitati transcriptorum; ut è & sudore AMPLISSIMORUM, SPECTATISSIMORUM, PROCONSULUM CONSULUM, CIVIUMQVE URBIS EXIMIORUM, lucem hanc publicam auspicata, solenni ritu, accersitis ex ERFORDIENSI

& LIPSIENSI Academiis Professoribus eruditissimis, ordinato Rectore Primo PETRO STEINBEKIO Artium Magistro, per REVERENDISSIMUM DN. WANGELIN Episcopum Sverinensem Vicesimum primum, ejusdemq; Vniversitatis Cancellarium magnificentissimum, per D. HERMANNUM Abbatem Doberanensem, M. JOANNEM MEINESTI Archidiaconum, D. NICOLAUM TURCOVIUM Ecclesiæ Marianæ Pastorem & D. HENRICUM KATZOVIUM Consulem Vrbis, Anno salutis reparatæ 1419. in D. Martini profesto, duodecimo videlicet Novembris die plantata, variisq; privilegiis à MARTINO V. Summo Pontifice, in Concilio Constantiensi electo dotata tunc & confirmata fuit. *Sudore* tum Augustæ & Regiæ Prosapiæ Megapolitanæ, tum Amplissimi Senatus, utriusq; nempè dote, stipendiis, beneficiis, favoribus, diutius quàm per bina sæcula, inter stupendas fortunæ vicissitudines, ad hanc ipsam, quâ loquor horam, in mediocri flore permansit, vitamq; suam, tot adversitatum paroxismos, tot clymactericas infortuniorũ periodos perpessam, ad tam seram ætatem, *sudore*, curâ videlicet & solicitudine horum ILLUSTRISSIMORUM & AMPLISSIMORUM PATRONORUM protraxit. Qui *nitent* præstantius quam JONA mulier, gratiæ ac favoris ergâ ACADEMIAM hanc, veluti ergâ fragrantissimam ROSAM candore; *rubent* ergâ eam amoris flammis: *virent*, vel in ipsâ mortis nocte, cœlo altissimo reposti, vitebúntq; in ipsam æternitatem; quorum auspiciis, tanto donario beata est Provincia; quibus proxonetis, tantus hujus ROSÆ thesaurus, aurô contra carus, in hanc Vrbem est transmissus. Verum ad ROSAM oculos mentis melius inflectamus.

Inter ipsos spinarum aculeos illa prodit, & qvò magis plantula crescit, eò densiores ac duriores aculeos, multoq; plures qvam flores producit. DEUS immortalis, si jam ab ipsâ infantiâ, ACADEMIAM hancce considero, qvid quæso aliud, quam ROSAM, tot & tam acribus adversitatum spinis, plusquam per bina secula obvallatam, &, nunc floribus decoram, nunc infortunij spinis rigescentem, nunc (quod stuporem meretur) ex illis mirabiliter eluctantem invenio? Itâ ut soli immensæ DEI COELI protectioni imputari debeat, quod per tam vastam seculorum seriem, inter tantam fortunæ vicissitudinem, ad nostra usq; tempora florere ac fragrare potuerit. Repetamus paulisper præteritorum temporum memoriam. Floruit ROSA hæc, à suæ plantationis auspicio, octodecem fermè annis, & Anno 1432. non mediocre suum decus, Venerandâ facultate Theologicâ, ab HENRICO ET JOANNE Ducibus Megapolitanis, ab HERMANNO Episcopo Suerinense, ACADEMIÆ tunc Cancellario,

apud

apud Romanum Pontificem EUGENIVM impetratâ adauxit, *en rosa*. Mox Anno 1437. Vrbe ob Senatum antiqvum exclusum, novum subrogatum, fulmine excommunicationis à Concilio Basilensi percussâ, à SIGISMUNDO Imperatore banno proscriptâ GRYPHISWALDVM migrat, sexennium fermè in magnâ inopiâ ibidem degit; quod satis luculenter Versus in æde Divo Nicolao sacrâ Gryphiswaldiæ, tabulæ suspensæ inscripti, & annum subseqventem 1438. complectentes patefaciunt.

Anno milleno qvater & Cter duodeno,
Bis tum coniungo, de ROSTOCH tempore diro
Translati studij defunguntur studiosi &c:

Postmodum autem Anno 1443. non absq; ingenti tum suo, tum posterorum dispendio, propriâ dote turpiter à Senatu Rostochiensi orbata redit. *en spina*. Cum enim Reipublicæ tranqvillitate redditâ, in pristinam sedem reverti exoptaret, cœlumq; ac terram (quemadmodum Petrus Lindebergius in CHronico Rostochiensium recenset) ut reciperetur sollicitaret, Senatus adulterinus non prius eam in Vrbem admisit, antequam nec à se, nec à suis successoribus, octingentos florenos rhenanos, quotannis à Senatu, nomine dotis solvendos, ad ducentorum annorum spacium reposcitum iri, solenniter attestaretur. Hoc itaq; deplorando nobis qvoq; viventibus pacto *de non petendo*, interveniente, reversa fuit. Quæ si non tantâ instantiâ reditum postulasset, si Civitatis preces paulò ulterius præstolata fuisset, si pristinarum libertatum ac stipendiorum restitutionem constantèr ursisset, nunqvam ad tam abjectas & sibi & posteris proh dolor! perniciosas conditiones adacta fuisset. Post tantam ac sempiternæ recordationis cladem, recolligit subito vires suas ROSA hæc; Anno 1443. unius saltem semestris spacio, non absq; ingenti DEI præpotentis benedictione, ducentos & septuaginta duos juvenes ad suum fragrantissimum allicit odorem, & velut ROSA è spinis, sic illa è pressuris ac miseriâ, ad qvam ipsam infelix abitus, infelicior ipsis posteris reditus detruserat emergit, *en rosa*. Grassatur tandem Anno 1464. in Vrbe hac pestifera lues; multi qui ad hanc ROSAM confluxerant, hominem exuunt; ROSA fermè toto anno langvet, nec suum decus per studia & actus publicos exerere valet, *en spina*. Jam (ut profundiores illo tempore ROSA radices ageret) à MAGNO DVCE Megapolitano, præsentibus BALTHASARO MAGNI Fratre, duobus Episcopis CONRADO LOSTIO Sverinensi Ordinario, JOANNE PARKENTINIO Raceburgensi, Executore Apostolico; nec non BARTHOLDO KIRCHOFF, GERHARDO BOCKFELDO, Vicco AB HERFORDEN, ARNOLDO HASSELBEKE Consulibus, totoq; ferè Vrbis Senatu,

Anno

Anno 1484. Ædes Parochialis D. Jacobi, in Collegiatam Ecclesiam, cum summâ solennitate dedicatur, Capitulo Venerabili creato, novus Collegii Præpositus, Principum quondam Illustrissimorum Cancellarius THOMAS RODE; novus Decanus HENRICUS PENTZE; novus Cantor JOANNES THVNN; novus Scholasticus & thesaurarius LAVRENTIVS STOLTENBVRG eligitur; magna sanè festivitas ab omnium Ordinum Hospitibus ac spectatoribus celebratur, *en rosa*. Verum proh dolor! vix dies aliquot in hilaritate publicâ consumuntur, furit plebs sola, novo huic infensissima facto; novus præpositus, in publicum canalem, antè mediæ lunæ Collegium, (teste hodierno lapide ad hascé ædes hodie adhuc erecto) protrusus, lapidibus & cœno obrutus, vitâ crudelitèr spoliatur; novus Decanus è Xenodochio Spiritus sancti, inter vetulas latitans extrahitur, turri tunc infami Vir senio confectus mancipatur; tota Vrbs clamore incondito, tumultu horrendo repletur; demum obsessio Vrbis ac quinqvennale inter ipsam & Principes bellum comitatur; ACADEMIA afflictissima ac prorsus desolata, velut ROSA flaccescens, suo decore ac ornamento destituitur, *en spina*. Et ex hac calamitate eluctari cupiens, accepto à summo Pontifice Romano INNOCENTIO, transmigrationis in qvæcunq; loca beneficio; confert se Anno 1487. ad decus Vrbium in litore Balthico, ad Vrbem celeberrimam, Viris maximis affluentem, religionis Orthodoxæ amantissimam, literatis faventissimam LVBECAM videlicet; qvæ inter cæteras litoris Balthici Vrbes, tanquam Sol fulgentissimus inter minora sydera, per magnas licet fortunæ vicissitudines, DEO sic dispensante, diutissimè reluxit; prædicto autem Anno marcescentē hanc ROSAM, summo honore, cum amplissimo Senatu ac populo excepit, maximisq; tunc favoribus, æviternum commendandis affecit. Quæ brevi (Rectoratum Lubecæ M. ARNOLDO BODENSENIO continuante) rebus compositis repetit postliminio sedem suam, nonaginta sex adolescentum inscriptione, uno mense Majo, Anno 1492. lætatur; promotione 53. Baccalaureorum, Decano M BARTHOLDO MOLLERO, Anno 1506. gloriatur, & usq; ad annum 1518. tum studiorum assiduitate, tum disciplinæ gravitate floret. *en rosa*. Rursus pestifera Vrbem contagio obitu plurium deformat; Juventus novi avida, vel ad LVTHERVM recentèr Indulgentias Pontificias reprehendentem, Wittembergam; vel ad CONRADVM WIMPINAM, Francofurtum abit; Professores omnes fermè, è ROSÆ hujus consortio secedunt; ROSA Anno 1530. deserta, cum ingenti suo dedecore, ac enormibus (quibus tunc à stolidis mortalibus impetebatur) injuriis, unicum saltem D. NICOLAVM LEONEM sex annos munus RECTO-

RIS,

RIS, in aliorum Professorum inopiâ obeuntem retinet, *en spina*. Advenit postmodum ex aulâ HENRICI Principis Megapolitani, Vir excellæ & socraticæ mentis ARNOLDVS BVRENIVS, natione Westphalus, Principum Juniorum MAGNI & PHILIPPI, HENRICI filiorum pædagogarcha; hic cum aliis Viris celeberrimis, tum ab ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, tum ab AMPLISSIMO SENATV Vrbis vocatis, Anno 1544. marcescentem quasi ROSAM hanc, novo flore induit, mediocri multitudine studiosorum paulatim confluente, cum aliis docet, sua industriâ & dexteritate, conjunctis cum aliis, nempe cum ANDREA EGGERDES & HENRICO PAVLI operis, in docendo, literarum studia accendit, totusq; dignus immortali honore, in ROSÆ hujus dignitatem ac venustatem incumbit. *en rosa*. Intercedunt posteâ, proh dolor! luctuosæ inter Principes & Senatum, de hujus ROSÆ primario decore videlicet Privilegiis, de ejus constitutione, concilio, libertate lites; per annos aliquot, cum Partium & Academiæ dispendio protrahuntur. *en spina*. Tandem Anno 1563. sopiuntur & componuntur felicissimè cuncta dissidia; ex Illustrissimorum Principum, & Amplissimi Senatus Professoribus, unum Academiæ corpus coagmentatur; Primus tunc Apollo, præsidens Musis & Musarum sacerdotibus, Anno à primâ hujus ROSÆ plantatione 144. DAVID CHYTRÆUS, Deus Bone! qualis Vir? eligitur; ACADEMIA Professoribus ad stuporem Orbis literati eruditis, ac eorum indefessâ doctrinâ per annos aliquot floret. *en rosa*. Verum revertitur tertiâ vice sævissima lues, septem Professores celeberrimos, quadraginta octo studiosos, octo millia hominum in Vrbe tollit; novæ deindè inter Academiam & Senatum contentiones, velut inter Rosam urticæ excrescunt; intestina demum Civium seditio Anno 1565. fervet; qvam JOANNES ALBERTVS Dux Megapolitanus à Senatu invocatus compescit, arcem contumaciæ domitricem, mœnibus dirutis extruit: Bellum autem atrox cũ Vrbe auspicatur. *en spina*. Adextremum Anno 1583. sopitis inter Celsissimos Principes JOANNEM ALBERTVM & VLDARICVM Duces Megapolitanos simultatibus, infesto S. Matthæi, in sempiternam recordationem Vrbi huic quotannis facto, pax sincera, pax firma profert denuò amabilem faciem, per annos aliquot pedibus calcata; ROSA jam exprimit altam mentis suæ indolem, per jacturas, pudores, calamitates varias, his octuaginta annis crescit, ex transactionibus ac litibus forensibus, nondum perfectè in CAMERA IMPERIALI compositis, imò ex ipsis casibus compendia quærens, vim suam roburq; ad hodiernam duodecimam Novembris lucem Anni hujus 1647. excitat, masculo pectore tum excipit, tum perfert procacis fortis insultus, gravata licet pres-

pressaq; tot cladibus velut spinarum aculeis, sese victrix erigit, & ex adversis, suæ laudis & gloriæ capit argumentum. *en inter tot tantasq; spinas, per ducentos viginti & novem annos rosa.* Cujus constantiam dum accuratius perpendo, non jam miror *Cedrum* carie & tineâ vel per unum seculum impenetrabilem; non jam miror *Cupressum*, & ex eô *Jovis* in Capitolio Statuam, quondam per bina secula incorruptam. Sed miror & stupeo, hancce unicam ROSAM VARNIACAM, ducentis viginti novem annis, forti ac invicto corde tristitatem temporum, præteritas ærumnas, & hodiernam inopiam excipientem; jureq; merito illâ, his (quæ quondã *Rutilius* protulit,) verbis compello.

Adversis solenne tuis sperare secunda
Exemplo cœli ditia damna subis
Astrorum flammas renovant occasibus ortus
Lunam finiri cernis ut incipiat.

ROSÆ inter alios flores REGIA MAJESTAS ac dignitas debetur, teste Anacreonte Poetâ, qui unanimi quasi Poetarum suffragio ROSÆ regnum hisce verbis detulit.

Si floribus vellet
Juppiter imponere regnum
Excellit Rosa flori
Est veri Rosa cura
Et gratæ superis Rosæ.

Quid jam de nostrâ ACADEMIA dicam? REGIAM illa sanè MAJESTATEM præsefert. REGIVM decus ejus, inter alias in Orbe CHristiano Academias insigniter elucescit. Non ne REGINA est, quæ ab ipsis Imperatoribus Sacratissimis FERDINANDO, FRIDERICO; à Summis Ecclesiæ Romanæ Pontificibus MARTINO V. INNOCENTIO VIII. EVGENIO, Regiam obtinet dignitatem? Nonne REGINA est inter Academias velut ROSA inter flores, quæ instar Regum Jurisdictionem secularem & spiritualem Regibus ipsis competentem exercet? Nonne REGINA est, quæ distinctum ab Vrbe magistratum possidens, ire quorsum vult, redire quando vult, ubicunquè Regiam suam auctoritatem ostentare potest? Nonne REGINA est quæ illustri Sceptrorum Regiorum investiturâ ac Regio insigni præfulget, & ad suum regium splendorem luculentius demonstrandum, neminem nisi Episcopum Sverinensem, & hodie Romani Imperij Principem CANCELLARIVM agnoscit? Senserunt hanc Regiam hujus ROSÆ eminentiam, Celsissimi etiam ac Regio sanguine progeniti HEROES; quorum gloriam in theatro æternitatis collocatam, nullo delebilis ævo fama loquetur; Senserunt inquam, & munus RECTORIS MAGNIFICI, in REGIVM ejus decus, post primum illum RECTOREM M. PETRVM STEINBE-

KE, Virum illo seculo celeberrimum, & inter plurimos alios diuturnitate famæ vastam seculorũ profunditatem æquantem subire non erubuerunt. Sensit BALTHASAR Dux Megapolitanus, post Episcopus Sverinensis & Hildesheimensis, MAGNI III. Ecclesiæ Cathedralis apud Rostochienses fundatoris frater, HENRICI Pingvis filius, & JOANNIS Academiæ Conditoris nepos; qvi Anno 1467. & Anno 1470. nec non Anno 1473. trinà vice Rectorem Academiæ hujus egit. Sensit ERICVS Dux Megapolitanus MAGNI III. ausis & nomine Magni filius, HENRICI Pacifici, Principis æviternis digni gratiis, & ALBERTI frater, HENRICI pinguis nepos, nostri verò Principis celsissimi ADOLPHI FRIDERICI hodiè Provinciam hanc gubernantis patruus magnus, princeps suo tempore solus fere eruditionis famam sustinens, qui Anno D. 1499. & Anno 1502. Academiæ hujus Magistratum gessit. Sensit WOLFFGANGVS, Comes ab Eberstein, & terræ Neugardiæ Dominus, qui A. C. 1509. almæ hujus Vniversitatis fasces detulit. Sensit THEODORICVS Episcopus Sebastensis, & Diœcesis Sverinensis in Pontificiis Vicarius, qui A. C. 1523. officio Rectoris defunctus fuit. Sensit WILHELMVS Brunsvicensium & Luneburgensium Dux, qui A. S. 1575. Rectoris munus cum sempiternâ gloriâ præstitit. Sensit JOANNES GUSTAVUS ROSA Suecus, Comes in Bosunt, & Dominus in Lundenholm, qui Anno Verbi incarnati 1576. publicus Academiæ Rector renunciatus fuit. Sensit JOANNES CYRIACVS, Liber Baro in Polheim & Wartenborg, qui eodem anno, d. 10. Octobris ad clavum Academiæ hujus sedit. Sensit VVILHELMVS in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Dux ac Princeps mansvetissimus, qui per totum Annum 1591. Rectoratum continuavit. Sensit VDALRICVS FRIDERICI II. Daniæ Regis filius, CHRISTIANI IV. ante menses aliquot, postquam ultrà 40. annos Daniæ ac Norvegiæ imperasset defuncti frater, Slesvici & Holsatiæ Dux, qui A. C. 1593. Rector Academiæ designatus fuit. Sensit AVGVSTVS; & reverâ præclarè factorum gloriâ Augustus, Brunsvicensium & Luneburgensium Dux, Musas cum Majestate rarò hodiè convenientes non tam æstimans, quàm exemplo suo aliis commendans, publicè in hâc Academiâ cum æterna laude disputans, perorans, magnisq; favoribus omnes Professores sibi obstringens, qui Anno D. 1594. Academiam hanc Rector administravit. Senserunt omnes alij quos temporis angustia nominare vetat, tum togatâ tum bellicâ virtute insignes Heroes, qui inter cæteros virtute ac eruditione conspicuos Viros huic ROSÆ Regiam dignitatem spiranti, diversis temporibus, publici ejus Rectores inservierunt. Quæ vel hoc ipso palmam Rosæ naturali præripit, quod nusquam colorem candidum mutaverit, quem *ROSA mutare, rubicundumq; à Venere* (ut poetæ referunt) *calcata, assumere debuit.* Integerrimum enim semper omnium Virtutum candorem ROSA hæc retinuit; nunquam ob malefacta rubore, quasi sanguine, suffundi didicit; nunquam pravæ Veneris pede, obscœnæ voluptatis affectu deformata; quid dico deformata? nè quidem vel semel ultrà hæc bina secula tacta fuit; semper cœlum terræ præferri docens, nihil aliud quàm pietatem, religionem, omnesq; virtutes, & ipsa animitus amplexa est & aliis sedulò commendavit. Ne quidem semel à Venere tacta; quæ ubi delicatulos suos clientes vel minimum attigerit, ah quibusnam sordibus non inqvinat? quibus vitiis animos non inficit? ad summum, ultricis conscientiæ furias, squalorem, pudorem ignominiosum, velut rubicundum ac sanguineum colorem, mœstitiam deniq; suis amatoribus, præclarum (si Diis placet) relinquit authoramentum. *ROSAM tanti fecerat antiquitas, ut eruditum & facundum hominem audiens, ROSAS loqui dixerit. Ovidius, amorum ille curiosus arbiter, cujusdam puellæ elegantem stupens Suadam, 5. fast. cecinit*

Dum loquitur vernas afflat ab ore Rosas.

Nutricula quoq; Persiana sui alumni eximias conspicata dotes, eiq; faustos apprecata successus inquit: Quidquid calcaverit id Rosa fiet. Convertamus nos ad Academiam hanc; quid illa quæso ducentis & triginta fermè annis loqvuta est? ROSAS. Quid manibus ac calamo operata? ROSAS. Quid luci publicæ commisit? ROSAS. Quid gressibus ipsis pressit? ROSAS. Loqvuta & operata Rosas, per AVRIFABRUM, DRACONITEM, KITELIUM, TILEMANNUM, HESHUSIUM, SIMONEM PAULI, DAVIDEM CHYTRÆUM, LUCAM BACKMEISTERUM, JOANNEM FREDERUM, VALENTINUM SCHACHTIUM, DAVIDEM LOBECHIUM, PAULUM ET JOANNEM TARNOVIOS, EILHARDUM LVBINUM, CHRISTIANUM SCHLEIDANUM, JOANNEM AFFELMANNUM, JOANNEM KLEIN, JOANNEM QVISTORPIUM, nuper proh dolor! rebus mortalium ereptum; & per plurimos alios (quos religioso silentio colo) summos Theologos, fulgentissima Divinæ facultatis Lumina, pulcherrima Virtutum theologicarum theatra. *Loqvuta & operata Rosas*, per JOANNEM OLDENDORPIUM, LAURENTIVM KIRCHOWIVM, JOANNEM BORCHOLTVM, MICHAELEM GRASSVM, ANTONIVM FREDEMANNVM, ADAMVM TRATZIGERVM, MATTHÆVM ROSELERVM, JOANNEM GEORGIVM GODELMANNVM, MARCVM LVSCOVIVM, BARTHOLOMÆVM CLINGIVM, HENRICVM CAMERARIVM, ERNESTVM COTHMANNUM, HAIONEM A NESSA, FRIDERICUM HEINIUM, THOMAM LINDEMANNUM, & per alios (quos piâ taciturnitate veneror) Jurisconsultos famosissimos, vel satius abissos eruditionis, Doctorum Soles, maxima natu-

ræ opera & miracula, veneranda quædam consiliorum Regibus, Principibus, Rebuspublicis suppeditatorum Delubra & Oracula. *Loqvuta & operata Rosas* per JANUM CORNARIUM, JACOBUM BORDINGUM, JOANNEM TUNICHÆUM, LIDELIUM, HENRICUM BRUCÆUM, GVILHELMUM LAUREMBERGIUM, & per alios (quos modestè prætereo) Viros in medicina ipsi Aesculapio stupendos, quorum nomina, hodiè etiam splendore suo, ultimos Orbis literati limites excesserunt. *Loqvuta & operata Rosas*, Per ALBERTUM CRANTZIUM, IGNATIUM HANNIELEM, NICOLAUM MARSCHALCUM THURIUM, NICOLAUM BAUMANNUM; per discerptos illos ex æternitate animos, quidquid ab orbe condito, annalium aut hystoriarum monumentis proditum est, ab interitu vindicantes, & in orbis terrarum memoriam sempiternam, cum suâ æternâ famâ spargentes. *Loqvuta & operata Rosas*, per illum ARNOLDUM BVRENIUM Westphalum, è cœlo olim sibi cum interitu fermè luctanti delabsum. *Loqvuta & operata Rosas*. per JOANNEM BOCERVM Poetam tersissimum: per JOANNEM POSSELIUM Græcum facundissimum: per JOANNEM SIMONIUM Oratorem eximium; per JOANNEM CASSELIUM Poetam & Oratorem eloquentissimum; per NATHANAEM CHYTRÆUM Philosophum acutissimum; per MATTHÆVM FLACIVM ILLYRICUM Philosophum subtilissimum: per BRASCHIVM Poetam suavissimum: per SLEKERVM phisicum sagacissimum: per JOANNEM KIRCHMANNVM Poetam & philologum accuratissimum: per JOACHIMVM JVNGIUM Mathematicum ac Philosophum cum raris hodiè comparandum: per LAURENBERGIOS tàm disertos & eruditos, quasi ad ipsam Helicons ripam nati & enutriti fuissent. Sed tacetnè hodiè aut nihil socordiæ dedita agit? minimè. *Loqvitur & operatur ROSAS*. per Theologos celeberrimos qui non solum Academiam hanc, sed & Ecclesiam, doctrinâ ac pietate, mirum in modum decorant, Religionemq; Orthodoxam, altioribus indies radicibus, in mortalium pectoribus defigunt. *Loqvitur & operatur Rosas* per Jurisconsultos prudentissimos, ad quorum consilia undiquè tanquam ad Oracula quædam, multæ Academiæ, Respublicæ, plurimi mortales conveniunt. *Loqvitur & operatur Rosas* per Medicos experientissimos ac peritissimos; ac è diametrò ferè illis oppositos, qui non cognitis morborum causis medicamentorumq; naturâ non benè exploratâ, necant satius mortales quam sanant, ac cœmeteria templorum cadaveribus complent. *Loqvitur & operatur Rosas*. per Philosophos naturæq; contemplatores solertissimos; per artium ac linguarum Professores eruditissimos; quorum nomina & prœconia in perennemq;

Orbis

Orbis literati memoriam, vel jam disseminata, vel post disseminanda lubens recenserem, nisi id præsentibus ac viventibus, pro innatâ animi demissione molestum & ingratum fore nossem. *Loqvitur, & operatur Rosas* per Omnium facultatum Doctores, hanc Vrbem inhabitantes, quorum si doctrinam spectes eruditissimos; si usum peritissimos; si ingenium perspicacissimos; si conditionem nobilissimos comperies, *Loqvitur & operatur Rosas*, per Nobilissimum ac Præstantissimum studiosæ Juventutis cætum; qui literarum dignitate ac pulchritudine ita incensus est, ut sine earũ publico privatoq; exercitio, nè vitam quidem ipsam jucundam arbitretur; qui è diversis regnis ac provinciis huc missus, dies & noctes gloriæ stimulis concitatur, ac per continua scientiarum, artium, linguarum studia, per indefessa virtutum specimina, totis industriæ viribus incumbit, ut Patriæ emolumento, parentibus gaudio, amicis præsidio, sibimetipsis honori esse possit. Et si qui in hoc cœtu reperiuntur, qui in otio Sathanæ pulvinari; in gulæ intemperantiâ, quâ ratio brutescit; in poculorum certaminibus; per quæ ipsa corporis sanitas depravatur, ingenii indolem naturæq; bonitatem prostituunt, & fœdissimis temulentiæ suæ moribus (eheu Academiarum fata!) famigeratissimam hancce Rosam inficiunt, hos ego non Rosas loqui aut operari; non Rosæ hujus flosculos, sed fucos, tenebriones, fungos, inutilia Rosæ pondera, carcinomata, propudia monstraq; Academiarum, ab inferis ipsis in Academias introducta, & ad eosdem inferos releganda dixero.

Ad Rosam jam redeo; cujus oleum si quis in Principum conspectum prodire cupiens, phialâ contentum, dexterâ teneret. Heroum liberas mentes quocunq; vellet flectere, summosq; favores à Principibus, qui cogi nolunt (testibus apud Pierium Valerianum lib. 55. C. de Rosâ, Idolorum magis) extorquere poterat. Tantam sanè vim Rosæ inesse Antiquitas credidit, ita, ut ipsi Poetæ, quidquid aliena devincire, & ad se pellicere pectora deprehenderint, ROSEVM appellarint. ROSEAS Parcarum vittas CATULLUS dixit.

At roseæ niveo resident in vertice vittæ.

Roseos auroræ capillos MARO nominavit.

Aurea fulgebat roseis aurora capillis.

Roseas genas PONTANVS nuncupavit.

Extinxit roseas purpura missa genas.

Sanè virtutem illam conciliandi Magnatum animos, non tàm facilè cum Superstitiosâ Prioritate Rosis concedam. Verum id partim Academiæ hujus annalibus, partim auctoribus fide dignis, partim ipsâ experientiâ edoctus affirmare audebo, ROSAM hanc VARNIACAM plurimis, summos Imperatoris Romani, Regum, Principum, Rerumpublicarum favores, honores conciliasse: plurimos

D hujus

hujus ROSÆ oleo, doctrinâ videlicet & virtute inunctos, ad honorum cacumina ab Orbis Heroibus, Monarchis, evectos esse. Dies me deficeret, si in hunc locum omnes adducere deberem, qui *inuncti quondam oleo huius Rosæ*, (sivè Professores sivè alia selectissima Academiæ membra fuerint) Cancellariorum, Consiliariorum, Legatorum Regum ac Principum; Consulum, Syndicorum, Senatorum in Rebuspublicis provincias possederunt; qui subsellia aularum, curiarium, Ecclesiarum *ROSAS loquentes* impleverunt; qui summis jam in diversis Regnis ac Provinciis honoribus, rerumq; gestarum gloriâ florentissimi, corda Heroum sive pace sive bello illustrium rapuerunt; illos, quasi quadam tyrannide in mentibus eorum sublimibus concitatâ, ad ingentes favores, ad sublimia munera sibi exhibenda adegerunt; & ab hâc ROSA ad maximam ipsorum existimationem pervenientes, illis gratissimi rhedas pro pulpitis conscenderunt. Quorum partem maximam cœlo jam receptam, sempiternæq; gloriæ redditam, vera excepit immortalitas; pars vero eorum non mediocris vivit, qui in Regum ac Principum aulis, Rerumpublicarum Curiis, in Provinciarum variarum Judiciis, in diversis vitæ statibus, honorificas Spartas exornant; qui *oleo hujus Rosæ quondam inuncti*, sapientiâ videlicet & eruditione hujus Academiæ imbuti, famæ ac existimationis suæ limites summoperè extēderunt; aut si jam quò crescat laus non habet, incomparabili virtutis suæ & scientiæ oleo, amicâ autem ac benevolâ hujus ROSÆ VARNIACÆ recordatione, in altissimâ dignitatum sede fruuntur. Quos omnes hic in medium proferre impossibilitatem; pluribus verò silentio suppressis, quosdam recensere, temeritatem non modicam sapit; cum omnes sine ullo discrimine, æviternam gloriâ promeriti sint, & in Albo Annalibusq; Academicis, ad immortalem nominis sui celebritatem, æternitati adscripti serventur.

Donec erit ROSEIS fama ulla aut gloria Musis.

Rosæ jam pulchritudo oculos omnium jure merito suspensos tenet, præter quam, licet ramos foliaq; sua, in altum plantula hæc non erigat, odorem tamèn suavissimum, longius quam Cedrus extendit; ne vero solo odore superbire videatur, cordis tremorem sedat, oculis mirè medetur, improbos humores resolvit & purgat; sylvestris etiam melle condita, venenatos canum morsus sanat pluresq; alias singulares obtinet virtutes, quas EVSEBIVS lib. 8. de præp. Evangelij Cap. ult. veneratus, ROSAM non solius voluptatis, sed utilitatis summæ causâ, à Supremo Naturæ Conditore esse creatam affirmat. Convertejam quisquis oculos in ROSARVM ACADEMIAM, annè non instar ROSÆ pulcherrimam esse fateberis? quæ se nulli alteri post Deum in hâc vitâ, quam virtuti Lucifero pulchriori, Hespero candidiori consecrat, illamq; animitus amplectendam publicè & privatim docet; quæ peccata, quibus quid deformius natura producere potest? suis doctrinæ simulacris detestatur; quæ voluptatibus deterrimis, blandiente vi & arte proditoriâ mentes mortalium inqvinantibus, irreconciliabiles inimicitias indicit, ab illisq; propensam ad ipsarum illecebras Juventutem, doctrinâ & exemplo absterret. Fateor, *non in altum mittit folia sua* ROSA hæc, quæ soli DEO altissimis defixa radicibus, ad infimam etiam, his præcipuè calamitosis temporibus protrusa sortem, in DEO velut in portu placidissimo conquiescit, & nec amissi vel ob calumniam vel ob invidiam pravorum favoris, nec miseriæ præsentis vento ac ne turbine quidèm agitatur; imò mundo ipso major, supraq; casus varios posita, erecto animo despicit hæc inania vanaq; mortalitatis, quibus non aliter homines pleriq; quàm exiguorum foliorum nodo alligantur. *Non in altum more Cedrorum folia sua diducit*; non superbè adinstar mundanorum, rebus his caducis confidit; quæ brevi instar lubricorum foliorum dilabuntur; non alitèr ac spolia temporis, fortunæ ludibria stant, cadunt, veniunt, abeunt, crescunt, decrescunt; & cum illa æternum quasi mansura affluxisse credat fatua mortalitas, Euripo citius refluere consveverunt. *Non in altum folia sua exporrigit*, quæ non de opibus ac hujus mundi bonis gloriatur; quæ jam per tot annos, nihil prorsus præter Herculeos labores, nihil præter miserias Sisiphias, nihil in loculis præter vacuum, (de quo tantæ in Phisicis contentiones) possidet. Citius proh dolor! fenestras ejus Sol, quàm domũ annuum stipendium intrat, & dum pleriq; oculos & mentes illecebris pascunt, illa ubicunq; aciem dirigit, pauperrimam sese, redditibus, stipendiis ac salariis orbatam per aliquot annos cernit, nihilq; aliud hodiè, quam dolium Diogenis intuetur. Verum parvi & hæc, citius (quam folia ex arboribus cadere consueverunt) peritura fortunæ missilia faciens, veris adhuc ac propriis dotibus, nulli vicissitudini obnoxiis bonis, Virtute nempè & Eruditione, famam suam veluti *odorem fragrantissimum* longius quam *Cedri*, quàm fastuosi mundi hujus amasii spargit; & dum paucos opulentos, ac in sublime honorum fastigium evectos, seculum non dico alterum, sed suum vix novit; dum paucorum etiam Regum nomina Orbi innotescunt; hæc hæc ROSA VARNIACA, odore eruditorum monumentorum, ultra bina secula fragrat; odore famæ totum Orbem literatum replet; plus odoris, famæ videlicet è literis, è viris quos semper habuit, & habet clarissimis, quam alij ex vanâ gloriâ folio leviore reportant; qui jacent sepulti cineribus, densâ seculorum nocte oppressi, dum hæc ROSA, ab ipso suæ plantationis tempore, tot licet infortuniis detrita olet, dum ad ejus odorem, è variis Regnis ac Provinciis numerosa gloriæq; sempiternæ destinata Juventus, ad hanc horam, cursu indefesso

fesso currit, & tandem virtute ejus mirabili refecta confortataq;, publicis & privatis muneribus, Respublicas, Aulas, Ecclesias, Orbem deniq; Christianum exornat. Immensis autem hujus ROSÆ utilitatibus, verba sanè deerunt: Quot enim (obsecro) ACADEMIA hæc cordis tremores dispellit? dum æternæ salutis fiduciam publicè confert, dum sapientiam instillat, quâ quis munitus adversus omnes ærumnas firmat pectus; alacri gradu, imò cursu per omnes calamitates, *nullum cordis tremorem sentiens* incedit. quot effrenatos ROSA hæc BALTHICA compescit affectus? dum porrigit Orbi CHristiano literas, quibus quasi harmoniâ cœlesti defervescunt, & ad æquitatem revocantur pestiferæ permotiones in animæ perniciem incitatæ. quot improbos vitiorum humores ad nihilum redigit? dum nil nisi pietatem in DEUM & proximum, nihil nisi religionem Orthodoxam omnesq; virtutes proponit. Quot ambitionis flatus extenuat & dissoluit? quot capita superbiæ morbo laborantia pristinæ sanitati restituit? dispensans eruditionē, quæ quò excelsius clariusq; enitescit, hoc minus videri exoptat; non alitèr ac Sol, qui quò altior, eò minores umbras jacere consvevit. quot caninis malevolorum, impostorum, invidorum, calumniatorum morsibus præsens remedium confert? dum vel illorum virulentiam publicè compescit, vel prorsus, ut vindictâ indignam despicatui ducere docet; nullum esse rata præstantius ultionis genus quàm cum risu adinstar SOCRATIS suis interesse conviciis, rebusq; satius ac moribus calumniam confutare. Diespiter mihi advocandus esset in subsidium, si omnia hujus ROSÆ emolumenta recensere deberem. *Confortat cor Rosa* omnium medicorum judicio; confortat ACADEMIA mentes nostras, dum omnia adversa invicto animo sustinere suadet. *Sedat Rosa ventris profluvium*; sedat ACADEMIA actionum præcipitantiam ac temeritatem, instar profluvij, ex indefœcato capite erumpentem: dum prudentiam, *quæ nil vagum, nihil desultorium, nihil præcox aggreditur*, seriò commendat. *Sanat caput Rosa*; sanat caput mentis ACADEMIA, spem videlicet nostram (juxtâ Paulum 1. ad Thessallonic. 5.) dum eam tepidam, ad ima deijectam erigit, & ad superiorum fiduciam elevat. *Illuminat oculos corporis ROSA*; illuminat animi oculos ACADEMIA, dum visum spiritualem, Divinorum instructione clarificat, dum interiores tenebras dispellit, dum calligantem intellectum, Divinorum arcanorum luce illustrat, ac rerum humanarum vanitatem ad oculum demonstrat. At quis jam ingentia commoda ROSÆ hujus VARNIACÆ, tam exiguo tempore complecti poterit? absq; quibus, (fremant licet, rumpantur, crepent hujus ROSÆ mastyges) Vrbs hæc, nec tantam nominis celebritatem sibi comparasset, nec tam commodè vitam suam, in tam horrendis bellorum tempestatibus

statibus sustentasset. Quod famæ celebritatem concernit. Quid quæso ante plantatam hancce ROSAM Rostochium fuerat? Vt veræ absq; livore fateamur. Circa Annum Domini nostri JESV CHRISTI 229. levibus initiis (ut Petrus Lindebergius in Chronico Rostochiensi refert) instar pagi & viculi piscatorij ad Varnum fluvium condi incœptum; post à GODESCALCO Obetritarum Rege, ex vico in oppidulum conversum; demum Anno CHristi 1160. à PRIBISLAO sive PRIMISLAO II. NICOLOTI filio, & Obetritarum seu Herulorum Rege quadragesimo & ultimo, ex vicinæ & desolatæ Vrbis Kessini (terræ Laciniæ tunc metropolis) ruderibus muro cinctum, fossâ munitum ac in Vrbis formam redactum, per trium fermè seculorum decursum, vix extrâ viciniæ sive Saxoniæ limites, & quidem solâ frumenti, cervisiæ, piscium vel recentium, vel Sole aut vento siccatorum, non adeo preciosâ negotiatione manifestum fuerat. Verum postquam ROSAM hanc, (cujus svavitate non solum hæc Provincia, sed totus Christianus reficitur Orbis) in se conspexit, mox effectum est Emporium longe carissimum, illarum nempè disciplinarum, qvæ nec furem nec prædonem expavescunt; quæ nec incendiis, nec ruinis, nec naufragiis obnoxiæ sunt, nec ullis deniq; casibus eripi possunt; ad quarum preciosissimum mercatum non solum vicini, verum etiam Germani, Galli, Sueci, Poloni, Dani, & ex aliis regionibus dissitis; non modò plebei, sed Principes quoq;, Comites, Barones, Nobiles, Patricij, per ducentos & triginta annos confluxerunt; ita ut fama Rostochiensis Civitatis, propter hanc unicam ROSAM egregriè inclaruerit, & non amplius Saxoniæ vel Megapoleos terminis circumscripta, totius Europæ oras peragraverit. Quod jam vitæ sustentationem attinet, ROSA hæc non solum publicum Civitatis ærarium, verum singulos etiam cives maximorum commodorum participes facit. Et quinam id diffiteri audebunt? nisi illi qui insanum sinciput, qui perfrictam frontem præseferunt; nisi illi qvos

Bœotum in crasso jurares aere nasci.

Nonne etenim Professores cæteriq; Academici, qui ROSÆ hujus decus propugnant & tuentur, quidquid vel ex patrimonio habent, vel laboribus, vigiliis conqvirunt, quidquid ex Regum, Principum, Nobilium, Studiosæ Juventutis, aliorumq; munificentiâ lucrantur; nonne inqvam illud in Vrbem important, in illâq; in commodum Civitatis ac Civium insumunt? Nonne antè annos aliquot eleganti ædificiorum structurâ Vrbem exornarunt? nonnè filias suas opimâ cum dote, civium filiis elocarunt? Nonne Nobilissima Studiosa Juventus, è diversis partibus orbis ad hanc ROSAM semet recipiens, tot millia florenorum, prô facultatum suarum modo, in Vrbem infert, & tandem in usum civium communicat? Numerate,

quantum in rem librariam Bibliopolis & Bibliopegis, quantum in rem vestiariam, hoc præsertim tempore, quô nullus proh dolor! luxui modus, Sartoribus, Sutoribus impendit? quantum prô victu & habitatione Hospitibus numerat? quantum cervisiariis, œnopolis, aliisq; opificibus, insignitèr ipsam emungentibus tribuit? Equidem si harum rerum pluriumq; rationes inieritis Vos stolidi ac malevoli, qui hanccE ROSAM vilipendere, & vel lanijs, pistoribus, salsamentariis, cæteræq; plebis ursinâ feritate horridæ farragini præferre non veremini; invenietis Summam totam, quotannis, in multa aureorum millia excurrere; reperietis tot & tanta ex ROSA hac, in usus Rostochiensis Vrbis proficisci commoda, ut meritò sibi cordicitus gratulari debeat, quod adhuc, his calamitosis temporibus ROSAM hanc complectatur, absq; quâ nomine tenus à morte distaret, absq; quâ nihil nisi merum & putidum cadaver repræsentaret. Sed annè & id ipsum adeò flocci pendi debet? quod ipsi Civium Vrbis hujus liberi, propter hujus ROSÆ præsentiâ, præclarissimam Eruditionis, ansam in ipso patrio solo nancisci possint, ita ut illis domi & præ foribus quasi, eruditio nascatur, quam alij ex longinquo, non sine magnis sumptibus, non sine vitæ discrimine quærere coguntur. Annè & hoc pro vilissimâ re æstimabitur? quod Cives liberorum suorum in studiis progressus, cum mirâ animi voluptate, toties quoties lubet intueantur, & quandoq; publicorum honorum, qui ipsis ab hâc ROSARVM ACADEMIA conferuntur, fiant spectatores. O ingentem parentum exindè lætitiam. O magnam filiorum exindè felicitatem, EPAMINONDÆ illi non dissimilem, qui se hunc maximum suorum laborum ac victoriarum fructum capere affirmavit, quod parentes suæ virtutis, gloriæ, rerumq; gestarum spectatores haberet. O utinam hanc eximiam felicitatem & filij & parentes, & omnes hujus Civitatis incolæ solertiori mente versarent, nihil aliud, meo omniumq; sani sincipitis judicio, hanc ACADEMIAM esse, & supra bina secula fuisse, quam svaveolentem salutaremq; ROSAM animadverterent; per quam Prudens prioritas, nihil nisi bonum, nihil nisi salutare indicare voluit. Sed vix è memoriâ non excidit, quod ACADEMIAM hanc, ROSAM fuisse aut esse non obscurius declarat. *Rosæ odorem licet gratissimum non omnes perferunt.* Non pertulerat illum inter alios magnæ apud Sedem Romanam auctoritatis *Oliverius Caraffa* Cardinalis, Rosarum tempore, quotannis, Româ secedere, & se intra suos, quos habebat in *Quirinali* hortos, occludere coactus, custodiis ad ostia dispositis, nè quis accedentium Rosam inferret. Non pertulerat Romanâ nobilitate & eruditione insignis *Petrus Molinus*, illâ majorem in modum offendi ac commoveri consvetus. Inter insecta verò, fordidissimus vermis *Scarabæus*, in solo stercore meras delicias habens, odorem ejus non patitur, sed illo subitò enecatur. DEUS Bone! quotnam hæc ACADEMIA experta est semper, vel quot experiètur hodiè, qui non vitio naturæ, (cui magnis licet dotibus conspicua, absq; culpâ propriâ, succumbit indoles; verum vitio mentis malitiâ & odio depravatæ, odorem ejus ROSA jucundiorem tolerare neqviverunt; imo qui ipsius instinctu Diaboli, in hoc unicum totis viribus incubuerunt, ut ROSA hæc, quam jure meritò Provinciæ hujus *Palladium*, Vrbis *ornamentum*, literarum *domicilium*, *Virtutis sedem*, Ecclesiæ ac Rerumpublicarum *seminarium* dixero; ut inquam miserime pereat & intercidat; ut ipsius Professores ac Cives, privilegiis ac beneficiis, à Sacratissimis Imperatoribus, à Summis Pontificibus acceptis iniqvissimè exuti, in eas redigantur angustias, ut aliorum ludibrio, propriæq; miseriæ exposiri, nec decus *Rosæ* tueri, nec studiorum suorum ullum reportare emolumentum, nec vitam suam suorumq; sustentare valeant. Quot proh dolor! & eos experitur hodie, qui præclarissima etiam facinora, impuri veluti *Scarabæi*, pulchra quæq; transeuntes, solis abusibus, nævis si tamen nævis, quemadmodum *scarabæi* cœno obhærescentes sordes suas illi affricare exopratunt; vel nimiæ eam libertatis vel petulantiæ insimulantes; vel mores quorundam in Academiâ viventium corruptos perstringentes; insipientèr arbitrati, id malum debere haberi, quod culpâ aliquorum malè audit; arbitrati stolidè ROSAM hanc ideo vel è finibus Orbis Christiani exterminandam, quiâ à quibusdam dehonestamentis (quod feriò deploramus) splendor ejus obumbratur, famaq; afflatur; quasi verò quis sani sincipitis, idcircò *ignem* quod incautum adurat; *aquam* quod improvidum suffocet; *solem & lunam* tàm benefica sydera quod alicui obsint, jure reprehendat; sine quibus tamen vita mortalium diu subsistere nequit. Verum ROSA hæc, flocci facit capitales hosce, & qui virtuti bellum indixerunt hostes; quorum conspiratio nunquam præstabit, ut ab ingenitâ, vel latum unguem, secedat generositate, invidiæq; gratiam, suæ virtutis famæq; odore postposito aucupetur. Ne pili quidè æstimat fœdam horum *scarabæorum* cohortem. Ridet, adeò assurgens sublimitate suarum dotum, supra eorum fatalem luem; ridet inquam frustraneos eorum conatus; nihil nisi mortes & funera ipsorum, tum tremendo DEI judicio, tum suæ famæ odore enecatorum ac enecandorum intuetur, ab illorum justâ internecione majorem celebritatem sumit, sumetq; in posterum, acà mortalitate se ipsam vindicans, omnes malevolos, invidos, suis rebus florentissimis velut *scarabæos* qui maturis frugibus obesse annituntur, extinctos & extinguendos cernens, in seram usq; ætatem vigebit & florebit. Quam ego hodiè juremerito in ROSA adumbrans, diemq; ejus natalem

religio

religiosâ hacce solennitate honorans, æmulor Romanam Gentem, quæ magnum quondam cultum (ut *Rosinus* lib. 2. antiq. Roman. C. 20. recenset) Deæ cuidam, nomine FLORÆ, Rosæ aliorumq; florum protectrici exhibuit, festaq; FLORALIA in honorem ejus celebrare consuevit; æmulor inquàm, & superstitioso gentilitatis ritu, in Christianum commutato, non futili illi ac commentitæ Divæ, verum Vero & MAXIMO DEO omnium rerum Conditori, ROSAM hanc VARNIACAM devotissimè commendo, ut, quæ ad hodiernam diem suam venustatem inter tot ærumnas, per ipsum unicum suum Conservatorem non perdidit, eandem ad ultimam illam totius mundi metam, ab omni malo noxioq; sydere tuta conservet; ILLVSTRISSIMI autèm AC CELSISSIMI cum totâ Provinciâ PRINCIPES MEKELBURGENSES, ut & AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI, cum totâ Vrbe CONSULES ET SENATORES, hujus ROSÆ fragrantis & saluberrimæ plantatores, nutritij, patroni, clementissimi, benignissimi, vivant floreantq; felicissimè, ut sub eorum auspicatis favoribus ac beneficiis, beatè ac tranquillè ROSA hæc dies suos transigat, & majores de die in diem fructus, huic Vrbi, Provinciæ, Rebuspublicis, Ecclesiis, Orbi deniq; Christiano producat.

SOLI DEO PRÆPOTENTI
LAVS, GLORIA, IN ÆVITERNA SECVLA.

ORATIO
SOLLENNIS VALEDICTORIA
De
LEGE LYCVRGI
QVA HIC SPARTANOS SVOS VETVIT PEREGRINARI
in Celeberrima Altdorfina

d. XXV. *Aug.* A.O.R. CIↃ IↃ C LXXXVI

publicè ac memoriter recitata

à

GEORGIO BVRKHARDO LÖFFELHOLZ à Colberg.

Literis HENRICI MEYERI, Vniv. Typographi.